Fragmentarium

aliter quam oportet humana existimet. qui divina contempnit, nec hominem recte diligere
novit: quisquis eum non diligit qui hominem fecit. ¶ Circa tercium exemplar notandum quod vii sunt
membrorum in quibus amor qui est respectu proximi: imitari debet amorem eiusdem corporis. ¶ Primum est quod unum
membrum non invidet alii membro: licet non habeat officium quod ipsum habet. Si omnia membra
unum haberent officium: essent quasi unum membrum. I Cor. xii. Si totum corpus oculus,
ubi auditus ubi odoratus. Et post. Si essent omnia unum membrum, ubi corpus. Et Ro.
xii. Omnia membra non eundem actum habent. Sic non debet aliquis invidere proximo suo habenti gratiam
quam ipse non habet. Multum timenda est invidia: tanquam vicium diabolicum. Aug. in li. de virgi-
Aug. nitate. Duobus malis hoc est superbia et invidia: diabolus est. Idem in li. de doc. christiana
Vitat deus pestem invidie ab animis hominum omnium: vicium diaboli. Imprudentia vicium dia-
bolicum est: sed habet matrem suam scilicet superbiam. Suffoca matrem et non erit filia. ¶ Secundum
est quod unum membrum officium suum sibi avare non appropriat: immo gratis aliis communicat.
Oculus est oculus omnibus membris: idem intellige de ceteris membris. Sic decet esse inter fide-
les. Ro. xii. Multi unum corpus sumus in Christo: singuli autem alter alterius membra. Item eodem.
Necessitatibus sanctorum communicantes. Cibum quem unum recipit membrum: ceteris membris communicat.
Si vero aliquod membrum amplius debito sibi de illo retinuerit: ad malum suum illud retinet,
est ei materia apostematis vel alterius infirmitatis. Sic est inter fideles. Eccles. v. Est
pessima alia infirmitas quam vidi sub sole: divicie conservate in malum domini sui. ¶ Tercium est quod unum
membrum ab alio se non vindicat. Sic esse debet inter membra ecclesie. Ro. xii. Nulli ma-
lum pro malo reddentes. ¶ Quartum est quod unum membrum alii compatitur: et congaudet
I Cor. xii. Si patitur unum membrum compatiuntur omnia membra: sive glorificatur unum membrum
congaudent cetera membra. Sic fideles debent gaudere cum gaudentibus: et flere cum flen-
tibus. ¶ Quintum est quod unum membrum reputat sibi fieri quod fit alii: sive sit bonum sive ma-
lum. Si ledatur pes os conqueritur: si laventur pedes os regraciatur. Luc. vii.
Intravi in domum tuam aquam pedibus meis non dedisti: hec autem lacrimis rigavit pedes
meos. Sic unusquisque fidelium reputare debet sibi fieri: quod fit alii. Unde caput ecclesie dicit. Quod
uni ex minimis meis fecistis mihi fecistis: Matth. xxv. ¶ Sextum est quod unum pro alio
lesioni se exponit: ut manus pro oculo. Sic debent facere fideles exemplo capitis qui scapulis
suis obumbravit nobis in cruce: ictum recipiens quem humanum genus debuit recipere.
¶ Septimum est quod unum membrum nullatenus tenet separari ab aliis membris: sic fideles timere
Aug. debent separari a corpore ecclesie. Aug. Nichil sic debet formidare christianus: quam separari a corpore

De hiis que valet ad hoc ut frater ametur. xpi xiij

Sequitur de hiis que valent
prius: ad hoc ut aliquis a proximo ametur. Quinque autem sunt que ad hoc valent. ¶ Primum est
discretio. Unde sapientia dicitur esse mater pulchre dilectionis: Eccli. xxiiii. Fatuitas nescit acqui-
rere vel conservare amiciciam. Eccli. xx. Fatuo non erit amicus. ¶ Secundum est modestia in ser-
mone. Eccli. xx. Sapiens in verbis amabilem se facit: gratie autem fatuorum effundentur.
¶ Tercium est similitudo. Eccli. xxvii. Volatilia ad sibi similia conveniunt. Ambro. Est in-
Ambro. situm bonis: ut unusquisque virtutes suas in aliis amet. E contrario: dissimilitudo fa-
V. cit ad odium. Oderunt hilarem tristes: tristem iocosi. ¶ Quartum est virtus. Tullius
Tullius Nichil est virtute amabilius: vel quod magis alliciat ad diligendum, quippe cum propter virtutem

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.16, 8v – Humbertus de Romanis (Pseudo-), De eruditione religiosorum (https://fragmentarium.ms/view/page/F-tcef/5146/49221)